



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 234. Et monumenta aperta sunt. v. 52.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

abhorrere, sicut olim Core Datan & Abiron in seruum Dei Moysen solum peccantes. Tremebat terra præ indignatione, & erudiebat nos, quod & corda nostra debeant tremere & moueri cum Dauide contra peccatores & sceleratos mores dicente; *Vidi prauaricantes & tabescebam quia eloquia tua non custodierunt.* item compati Christo cum S. Hieronymo dicente: *Omnis creatura Christo moriente compatitur, sol obscuratur, terra mouetur, petre scinduntur, monumenta aperiuntur, velum diuiditur, sed heu solus homo non compatitur, pro quo solus Christus patitur.* Sed & ostendit hic terræ motus iram Dei vehementer accensam esse, contra illos qui Christi mortem & passionem procurarunt, prolongarunt, spernunt sibi quæ non applicant: & tamen pro pudor atque dolor quanti hoc considerant? quanti curant? Ah quis dabit intellectum, vt hæc intelligant & agnoscant? Quis memoriam, vt recogitent? Quis lacrimas vt defleant noctes & dies perfidiam suam, negligentias suas, & peccata quibus iram tuam ô Deus commerentur mortales?

**S** Vanissime Iesu propono ex nunc, tua adiuuante gratia noctes & dies pendere qualia & quanta pro salute mea passus sis, quomodo cum adhuc inimicus tuus essem, redemeris me, cum tanquam ovis perdita oberrarem, multo sudore & labore me quæsieris; magno cum cruciatu inuentum patri obtuleris saluandum, enim vero hoc opus magni amoris est! da vt amorém amore compensem hic, ne sim causa doloris & vindictæ, quandoque in me etiam creaturarum inanimatarum.

§. 234. *Et petra scissa sunt.* v. 51.

Etiam durissima illa Creatura, Petre liquefactæ sunt præ Compassione, & indignatione, ita vt scinderentur in partes, dum rationalis creatura Deum suum scindere non erubescit, rescindendo vinculum unionis inter Corpus & animam Christi.

**A**ttende tibi, ô Christiane, qui nunc Ecclesiam Christi scindis Schismate, uti olim Christum ipsum scidit Iudæus. Vide, inquam ne petre in Christi morte iam scissæ super te cadant, & te deprimant in infernum. Ad scissuram petrarum, conuertitur latro, & agnoscit Deum centurio, agnoscit & miles & tundentes pectora sua præ dolore peccatorum; clamat Centurio, *Vere filius Dei erat iste*, clama & tu vere illa Dei erat Ecclesia, quam dirupit Lutherus, & confregit Calvinus, quoniam ex eo tempore mala infanda inundauerunt, Virtus Germanorum; quæ erat quasi petra solidissima, contracta est, dissipata est &c. O dolor!

§. 234. *Et monumenta aperta sunt.* v. 52.

Hoc miraculo Deus toti mundo significat, se iam per mortem suam fregisse



fregisse portas mortis & inferni, sicut fregisset claustra monumentorum ut & monumenta fortentia cordium peccatorum aperiantur, & cum Christo resurgere se disponant & uiuant cum eo in æternum. Christus siquidem monumenta uoluit prius aperiri, postmodum ut resurgerent corpora mortuorum. Prius enim mortificari debet in nobis regnans peccatum, ut possit subintrare iustitia sicuti & ipse primò mortuus est, & resurrexit tertia die. mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit, propter iustificationem nostram. hoc est, per mortem soluit debitum nostrum & ut commemoriamur effecit: per resurrectionem uero suam deduxit nos ad fructificationem per sanctam uitam ex ipsius uita Sacramentis tanquam canalibus deductam.

**O** Bone Deus, utinam etiam monumentum meum in die iudicij aperiat, ad exeundum in Sanctam ciuitatem Dei, Ierusalem supernam. Ut autem hoc fiat olim aperi Domine nunc & frange seras cordis mei, ut tibi pateat omni momento, fiat tibi monumentum semper nouum & mundum, ut in eo morari sit tibi delicia: inde odor fragrans unguenti Spicati pistici exspiret: inde exilient cogitationes malæ, cõsurgant autem & floreat ibi omnis generis uirtutum flores & fructus boni operis: ut tu bone Iesu in me, & ego in te maneam, crescam & uiuam. Amen.

§. 236. *Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. v. 52.*

Causa, cur monumenta aperta sint fuit, ut inde multa corpora sanctorum, quorum animæ detinebantur captiue in inferioribus terræ partibus, limbo scilicet, exsoluto iam lytro per mortem Christi, redirent ad sua corpora & resurgerent ad annuntiandum Iudæis potissimum peccatum suum, Christi ueri Dei & Messie ueritatem & mortem, & resurrectionem, ut sicut ipsi potentia istius ueri Dei & Messie surrexerint à mortuis, ita propria sua uirtute ipse resurrexisset, ut sic ultra nec apud Iudæos nec Ethnicos ulla dubitatio de ueri Dei & Messie aduentu morte, & resurrectione relinqueretur.

**S**cio Domine & firmiter teneo me resurrecturum, ut isti, cum corpore hoc, ad reddendam rationem, pro ut gessi siue bonum siue malum; da igitur gratiam, ut in corpore sancto resurgam sicut hi sancti, quos è limbo misisti recipere corpora sua, ut tuæ personæ ueritatem, mortem & resurrectionem annuntiarent.

§. 237. *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius. v. 53.*

Monumenta aperta sunt eo tempore quo Christi corpus pendeat adhuc in cruce in terrorem & signum maximi portenti futuri, ut in se redederent Iudæi & penitentiam agerent, & crederent Christum uerum Dei filium esse mortuum, & resurrecturum. Sed nec prius corpora Sanctorum